

Les sources manuscrites de la théorie de la musique
(S. IX-XVI)

Saint-Dié, Bibliothèque municipale (*F-SD*)

Ms. 42, f. 59r-v

Transcription : Christian Meyer

(mars 2006 – rév. nov. 2017)

59ra

¹Multe quidem at diverse sunt monacordi dimenssiones, quas omnes enarrare tedium potius quam proficuum legentibus generaret. ²Quapropter nos cupiositatem resecantes ex multis unam, que facilius atque celerius videbatur, regulis nostris inserere curavimus.

³Primum igitur ·Γ·, i. Gama, in sinistra parte monocordi, ubi volueris posito, a quo usque ad finem novem passibus equalibus metire. ⁴Quibus aequaliter dimensis, diligenter considera, quod primus passus terminabit in ·A·, secundus vacat, tertius in ·D·, quartus vacat, quintus in ·a·, sextus in ·d·. septimus in ·aa·. Reliqui vacant.

⁵Item ab ·A· usque ad finem, novenis passibus aequaliter partitis, primus passus terminabit in ·B·, secundus vacat, tertius in ·E·, quartus vacat, quintus in ·b·, sextus in ·e·, septimus in ·b· duplicatum. Reliqui vacant.

59rb

⁶Item cum a ·Γ· ad finem quaternos passus aequaliter dimensis, primus passus terminabit in ·C·, | sc. in dyatesaron, secundus in ·G·, sc. in dyapente, tertius in ·g·, sc. in dyapason. Quartus finit.

⁷Similiter a ·C· ad finem quattuor passibus aequaliter dimensis, primus terminabit in ·F·, secundus in ·c·, tertius in ·c·. Quartus finit. Ab ·F· autem quattuor passuum equaliter dimensis, primus terminabit in ·b· molle, secundus in ·f·. Reliqui vacant. A ·d· vero

quaternis passibus factis, primus terminabit in ·g·, quod iam positum est, secundus in ·dd·. Reliqui vacant.

⁸ Ab ·f· quoque ad finem quattuor passibus partitis, primus terminabit in ·b· rotundum duplicatum. Reliqui vacant.

⁹ Et in hac quidem dimensione, qua videlicet fit quaternis passibus, totum monochordum rectissime mensurare poterit, qui diligentiam adhibere voluerit.

¹⁰ A quacumque enim nota ad finem monocordi quattuor equales passus fuerint, tres ex illis diatessaron, diapente necnon et diapason continent. Ultimus vero finit. ¹¹ Verbi gratia a ·Γ· usque ad finem quattuor dimensis | passibus primus terminabit in ·C·, quod est diatessaron, secundus in ·G·, quod est diapente, tertius in ·g·, quod est dyapason. Eodem modo et reliquas invenire potes.

Explicit divisio monacordii. AMEN.

cf. IOH. COTT. mus. 5

8 .f.] E *cod.*

10 vero] non *cod.*

11 usque ad finem] ad finem usque *cod.*